

bonos mores colendi auctor fuisti. Periniquum enim mihi videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet. Quae res potest et virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem inter utrumque componere vel causam facti tollere. Si haec observanda
 5 *sunt propter decus terrenae civitatis, quanto castiores quaerit caelestis patria et societas angelorum?* Haec de legibus pagani imperatoris Antonini beatus Augustinus scribit. In²⁸¹ libro Esther manifeste legitur²⁸² reginam^x Vaste, uxorem potentissimi et ferocissimi regis Assue-
 10 ri, cum eius animos contemptu et contumacia offendisset, nequaquam sola illius indignatione et furore ex imperii honore depositam fuisse, sed publico iudicio et sententia principum ac iudicum Medorum atque Persarum. Ita cum essent pagani et idolorum cultores, *naturaliter*²⁸³, *quae legis sunt, facientes* etiam in causis coniugum non crudelitatem et saevitiam, sed iustitiam et aequitatem decernere ac definire debere
 15 docuerunt.

CAPUT X. Certe divina lex etiam inter dominum et servum sive ancillam iustitiam et iudicium conservari praecepit, et cum praecipiat publico iudicio talioni suae *oculum*²⁸⁴ *pro oculo et dentem pro dente* restitui: Tamen si quis dominus servo vel ancillae suae privata indignatione et furore vel oculum erueret vel dentem excuteret, statim eum
 20 eiusdem servi vel ancillae amissione damnabat. Ita namque scriptum est: *Si*²⁸⁵ *percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillae et luscus eos fecerit, dimittet liberos pro oculo, quem eruit; dentem quoque si excusserit servo vel ancillae suae, similiter dimittet eos liberos.* Noluit itaque
 25 et aequissima et misericordissima lex dei neque ipsis servis et ancillis a dominis suis absque iudicio aliquas debilitates vel deformitates infligi, ita ut, si quis hoc praesumeret, eiusdem servi iusta amissione plecteretur, cuius subiectione iniuste abusus fuisset. Multo minus occidi eum permisit privata domini sui indignatione et furore. Quod si fecerit,
 30 reatu homicidii condemnatur dicente eadem lege: *Qui*²⁸⁶ *percusserit*

x) fehlt Si.

281) In – Persarum (Z. 12) übernommen in *De divortio Resp. 21* (MGH Conc. 4 Suppl. 1 S. 225 Z. 2–5).

282) Vgl. Est. 1.

283) Vgl. Rom. 2,14.

284) Exod. 21,24.

285) Exod. 21,26–27.

286) Exod. 21,20, vollständig übernommen in *De divortio Resp. 5* (MGH Conc. 4 Suppl. 1 S. 144 Z. 1–3).